

cura ac vigiliis propugnacula custodiebant ; qua ab hostibus magis timendum erat , aggeres , quibus protegerentur , summo studio communiebant .

Interim Turcæ frequenti sclopporum displosione eos , qui in mœnibus erant , ita affligebant , ut vix ex aggere conspectum sustinere possent , ac majoribus quibusdam tormentis ad eam urbis regionem , quæ Sanctæ Marinæ dicitur , erectis , ingentium pilarum horribili fragore privatas domos disjiciendo , inaudito tremore cives , plebemque complebant . Eorum stupenda opera non absque magna nostrorum admiratione summa celeritate , atque artificio confecta conspiciebantur . Munitiones urbi adversæ ad id fastigium perductæ , ut ex iis tuto pugnare , tormenta contorquere , sagittas , atque arte elaboratos ignes in urbis mœnia ejaculari possent , quorum tactu gossipia , quibus ad globos excipiendos nostri uti consueverant , incendebantur . His difficultatibus propugnatores pressi cum in dies absumerentur , nec peramplæ custodiendæ urbi sufficere , nec eruptionibus adoriri , aut turbare hostem possent : reliqua in tormentis spes esse videbatur , quibus & hostium conatus impediri , & opera disturbari posse considerent : qua in re Antonii Berettini ingenium , in machinisque bellicis tractandis peritia eluxit . At cum perpetua glandium verberatione libratores prosternerentur , brevi eorum quoque numerus valde est imminutus . Interim ad labrum fossæ mœnibus oppositum Turcæ successerant , atque , eo perforato , fossas subjerant , & egesta humo , cum a nostrorum tormentorum ictibus tutos se reddidissent , ligonibus propugnaculorum fundamenta suffodere cœpere , ac quibusdam veluti gradibus faciliorem sibi adscensum ad propugnacula invadenda reddidere . Inde Constantium , ac Podacatarum , veluti propugnatorum virtutis facturi periculum , aggrediuntur . At inopinato , repentinoque conatu Constantii milites perculsi adeo molliter eorum impetum exceperunt , ut ex Turcis complures audacius progressi , ultra protectorios aggeres se se inferrent . Verum supervenientibus cum suis cohortibus Paulo Gualtio , atque Andrea Spellensi , non absque ingenti jactura fortiter pulsi sunt , e nostris aliquot desideratis , inter quos Andreas ipse , inter primos acriter dimicando , confossus occubuit .

Antonii
Berettini
machinarum
tractanda-
rum peritia.
Turcæ mu-
nitiones
Leucosien-
sum adorti
repelluntur.